

F.V. 57. (37)

X 2047430

IV, 1
Z 6
6670

Scævula Ruthenicus,

hoc est,

*VIR QUONDAM MAGNIFICUS, NOBILISSIMUS
ET CONSULTISSIMUS*

DN. TOBIAS HEUBLERUS,

Actus Consummatissimus,

Toparcha in Droschtau & Stodken /

*Consiliarius & Cancellarius Rutheno Plavientis gravissimus, Con-
sistorii Præses vigilantissimus, & Gymnasii Ephorus Pri-
marius isque spectatissimus,*

Dissertatiuncula qualiquali descriptus.

Qua

ILLUSTRISSIMOS COMITES AC DOMINOS,

DN. HEINRICUM XIIX.

ac

DN. HEINRICUM XXII.

JUNIORIS LINEÆ RUTHENOS,

DOMINOS GRATIOSISSIMOS,

Maximè item Venerabiles

DNN. INSPECTORES,

Ut &

Nobilissimos, perquam Reverendos, Amplissimos,

Clarissimos, Eximiosq;

VIROS RELIQUOS,

M. JO. FRIDERICUS Röber /

Illustris Ruthenici RECTOR,

ad auscultandum clementer & benevolè

PARENTALE EPOS,

Beatissimis Heubleri,

heu! quondam nostri

manibus sacrum,

atque a

THEODORO WOLFIO,

SCHLEIZA - VARISCO,

recitandum publicè,

humillimè, submissè, officiosèq; & humaniter

INVITAT.

GERÆ, LITERIS WERTHERIANIS.





Xionis ad in-

star nubem pro Junone amplexatur
stolidè, ac somnii umbram captat nisu
frustraneò, qui stabile quippiam ac per-
petuum in rebus humanis vel quærit,
vel invenisse se putat. Etenim sicut cæ-
tera omnia, quæ circa nos sunt, fluxu
velut continuo, eunt ac dilabuntur, in
morem aquæ fluentis: sic vita ipsa, concessa divinitus, non ita in
manu nostrâ est, ut retinere eam liceat, quantum libet. Equidem
votis optandum omnibus foret, ut, qui optimè & variis modis
de salute omnium communi merentur, si non planè mortalita-
tis lege ac necessitate eximi possent, diutius tamen, quàm pro-
fieri plerumque solet, superessent, ac vitali vescerentur aurâ, quip-
pe quorum sapientiâ, consiliis, fide, industriâ ægrè admodum
caremus. Verùm enim verò votis nostris vel ardentissimis,
quin & omni arte ac medicinâ valentior lex illa est, quæ sicut
universo orbi, ita & humano generi universo incumbit, nihil ut
immortale uspiam sit præter DEUM. Qui cum ipsius vitæ
fons & origo sit, solus extingvi & morte intercipi non potest.
Quidquid homines aliàs genere, potentiâ, opibus, prudentiâ &
honore differant, in eò tamen omnes conveniunt, ut morian-
tur, alii quidem longævi satis, ac diutinò prius conflictati mor-
bò, alii juvenes admodum, breviq̃ue ac celeri fatò absoluti, &
cum

cum vix uno atque altero die decubuerunt. Id quod ipsis
Kalendis Septembribus, ante tres menses accidit proh dolor!
MAGNI NOMINIS JURISCONSULTO, D. TOBIÆ
HEUBLERO, CONSILIARIO ET CANCELLA-
RIO RUTHENO-PLAVIENSI GRAVISSIMO, CON-
SISTORII PRÆSIDI EMINENTISSIMO, GYMNASII IN-
SPECTORI PRIMARIO, VIRO DE PUBLICA ET LITE-
RARIA RE LONGE MERITISSIMO. Qui ubi vix triduum
ex morbo internecino decubisset, factum est, ut placidè obiret
mortem ante, quam sèmet ipse sentiret mori, aut, qui curabant
circum, intelligerent propè Sui. Lugemus meritò tantum Rei-
publicæ nostræ Lumen, tam inopinà morte nobis extinctum, &
largis deploramus lacrymis jacturam, quam fecimus omnes.
Verùm quid lamentando proficimus ad summam? quid eju-
lando mutare contendimus, quæ mutari non queunt? Igitur,
quod unum nobis concessum est, nostraque in BEATISSIMOS
BEATISSIMI HEUBLERI MANES pietas imperat, jure quò-
dam suo præstituri, DESIDERATISSIMUM VIRUM cum
priscò quodam Romanorum Juris-Consulto, nempe Q. Mucio
Scævula, brevi hâc Dissertatione conferemus. Nam huic parem
fuisse NOSTRUM in plerisque, ex iis, quæ in medium afferen-
tur, opinor, innotescet. Erat Scævula ex vetusta ac celebri inter
Romanos familiâ, genusque ducebat suum ab illò, qui primus
hoc nomen dedicavit, illò nimirum, qui Porsenam, Regem He-
truscum, Romam obsidione cingentem, per insidias in castris
ipsius aggressurus, frustratò circa purpuratum ictu, ardentibus
focis injecit manum, & ut poenam erroris daret, intrepidè com-
bussit. Equidem gens, unde NOSTER suos arcessivit natales,
nec ad eam vetustatem nec gloriam adscendit, quam jactitare
Scævula ex verò potuit: natus tamen ejusmodi parentibus fuit,
qui honestate non tantum, sed virtute quoque prudentiâ juris ac
pietate præstiterunt, ita ut longè meliori jure, quam ille apud So-
phoclem gloriari posset, *εὐσεβὴς ἐξ εὐσεβῶν*. Quod laudis enco-
mium Mucii veterem prosapiam ac fumosas imagines provoca-


re tantumne? imò & superare potest. Nam quid est vetustas generis sine veri Dei notitiâ? Quid generositas sine pietate? fumus, somnium, nihil. Habuit Scævula in Majoribus suis viros juris & æqui peritissimos. Non cedit eidem NOSTER, quippe cuius Pater BALTHASAR HEUBLERUS, Ducalis Saxonicus Quæstor, Vir integerrimus & amplissimus, Camburgi, Avus vero Maternus, BARTHOLOMÆUS SPENDELINUS, Redituum Præfectus, Vir Duci suo fidelissimus, Altenburgi fuerunt. Nisi BEATISSIMI CANCELLARII singularis, quâ semper fuit, modestia reclamaret, ac scripturientem calamum cohiberet, longè plura hanc in rem afferri possent. Ita quæ festinandum ad alia est, quæ majoris momenti ac ponderis videntur esse, & magis ad laudem ac gloriam DEFUNCTI dubio procul spectant. Solent filii, præcipuè feliciter nati, nec malè ingeniati, lubentes parentum vestigiis insistere, & plerumquæ ad discenda ea, quæ ipsi profitentur, adspirare. Fecit hoc cum summa laude Mucius, de quò legimus, quod exemplò motus paternò, totum se dedit Juri civili. Idem observavit & HEUBLERUS OPTIMUS, ita quæ ad Studium Juris. quò *evectus ad dignitatem ac honores fuerat* Parens, occultâ quâdam ac blandâ vi, ut totum se ei traderet, tractus & excitatus fuit. Qua de causa, cum Academias adiisset Lipsiensem primùm, deinde & Jenensem, post jacta probe Philosophiæ fundamenta, ad Juris nobile studium animum suum applicuit, in quò tam strenuum ac indefessum se præstitit, ut & proficeret brevi, specimina quæ ederet publica, & institutis privatis Scholis, alios doceret. Quam dexteritatem ac peritiam inde dubio procul assecutus est, quia celeberrimos Juris interpretes, qui tùm Oracula quædam in utrâque Academia habebantur, assiduè & constanter sectatus fuit ac diligenter auscultavit, exemplò Epaminondæ, laudatissimi Thebani, quem studiosum perquam audiendi fuisse, Cornelius Nepos autor est non futilis, & eâ quidem de causa, quia ex hoc facillimè disci arbitrabatur. De Muciò referunt, qui vitam ejus recensent, quòd doctrinæ suffragio, per omnes honorum gradus evectus, ad ipsum tandem cul-

culmen adscenderit, Tribunus quippe plebis, Prætor, Consul, Proconsul Asiæ, & maximus denique Pontifex factus. Quid BEATISSIMUM NOSTRUM dicamus? Scilicet industriæ tantæ, labori tanto non poterant sua deesse præmia, sui honores. Itaque summò Doctrinæ, quam vocant, titulo ac gradu insignitus publicè, solenniterque in decantatissima Salanâ decoratus fuit. Ad quam dignitatem capeffendam non tam sponte suâ motus (quod nefas non fuisset, siquidem non semper ambitionis est, ambire honores; arguit potius quandoque animum, meriti sui conscium) quàm ab Amplissima Facultate Juridica excitatus, & velut honestis quibusdam furiis incensus fuit. In hoc verò non substitit NOSTER, ut haud pauci solent, qui munus hujusmodi ac dignitatem non tam virtutis stimulum habent, quàm præmium potius exhausti laboris, & portum quasi, ubi quiescant. Quantò sublimior ergò honor erat, tantò in id incumberebat & laborabat magis, ut eò se dignum præberet, & reverà esset, quod appellabatur. Hinc tanquam in splendidissimo aliquo theatrò, variis in causis exhibebat se Roscius Noster, suæque eruditionis pericula faciebat, exercendo capturus experimenta, quantum discendo antea profecisset. Latere diu ingens Juris peritiam ac doctrinam excellens non potest, diffundit undiquaque famam nominis ac gloriam, & in admirationem atque amorem trahit. Hinc fiebat, ut NOSTER ab ILLUSTRISSIMIS DYNASTIS à Schönburg/ DOMINIS in Glaucha ET Waltensburg/ ETC. adsciceretur Consiliarius, quò in consiliis capiendis, tanquam fidò Achate, vel potius Nestore uterentur. His igitur aderat in rebus quibusque magnis & arduis, in salutem publicam unice intentus, irâ, odiò, invidiâ, partium studiò vacuus, nihil aliud cogitans & agens, nisi quod justum, quod verum, quod profuturum publicè hariolabatur esse. Proh quàm vigilans studium, quàm exactam industriam ad DYNASTARUM LAUDATISSIMORUM negotia adhibebat? Quæ ut ex votò omnium conficeret, ne improbissimis quidem laboribus parcebat. Unde non domi solum & apud suos GRATIOSISSIMOS DOMINOS,

sed & alibi locorum magnam solertiae ac fidei, summam dexte-
ritatis & peritiae in gerendis rebus laudem consecutus fuit, adeo
ut, postquam SCHÖNBURGIACIS DOMINIS à consiliis, per
iplos viginti ac duos annos fuerat, ab ILLUSTRISSIMIS CO-
MITIBUS AC DOMINIS RUTHENIS JUNIORIS LINEÆ,
& annò quidem M.DC.LXXXV. unà cum GENEROSO MO-
SELIO, VIRO supra laudem posito, inter Consiliarios adopta-
retur, ac post paulò Consistorii Adfessor, Gymnasiiq̃ue Inspector
constitueretur. His itaq̃ue admotus muneribus, totos dies tere-
bat consultationibus & rerum actibus; noctes etiam, si res po-
stulabat, diebus adjungens, nec dubitans cum curâ ac operâ
ipsam quoq̃ue valetudinem impendere. Neq̃ue enim vitam
ad somnum atq̃ue inertiam datam homini, sed ad laborem atq̃;
vigiliam, subindè recordabatur. Restabat deniq̃ue solstitium il-
lud honorum, quod in eruditos cadere posse dicitur, Cancellaria-
tus videlicet. Sed & hic, obitu ILLUSTRIS MOSELII inopino,
vacuefactus ad Nostrum Annò M. DC. LXXXIIX. ex votò per-
venit. Factus etiam Consistorii Rutheno-Gerani Præses, & simul
ILLUSTRISSIMORUM COMITUM RUTHENORUM
SENIORIS LINEÆ Consiliarius. Hic verò ad novos hono-
res novum attulit laborandi studium, novam industriam, ut, su-
peratò unò labore, alacriter identidem subiret alterum, nullum
gravatus, nullum abominatus. Nihil fugiebat acre ejus judicium,
nihil morabatur solertiam, nihil superabat indefessum laborem.
Circumspiciebat sagaci animò, quicquid bono publico, cujus
curandi perpetua ipsi incumbere cura, velificari posset. Fuit
Mucius, Romanus ille Juris Consultus, gloria sua dignus, non
magis ingenii ac prudentiæ acumine, scientiaq̃ue Juris, quæ in eo
summa extitit, quam vitæ integritate, animi & constantiâ & mo-
deratione, amore ac fide in patriam, justitiæ deniq̃ue & abstin-
entiæ laude, legum prætereà observantia, & erga quoslibet largitate.
Fallor, an hoc encomium in BEATISSIMUM HEUBLERUM
NOSTRUM potiori jure conveniat. Erat quippe in EXCEL-
LENTISSIMO VIRO integritas summa, candorq̃ue ac sinceritas,

tas singularis, ut remotus semper esset ab illorum moribus, quorum verbis in tantum non cohærent facta, in quantum vera factis distare solent. Erat in moribus ejus nihil asperum, nihil odiosum, nihil à persona boni Consiliarii alienum, etsi non omnibus arrideret & obsequeretur, præcipuè cum verum & rectum tuendum esset. Erat eò in salutem publicam amore ac studio, ut qui maximè, quippe cui ignotum non erat, neminem sibi soli natum esse, & quemque, præcipuè, qui à consiliis Principi est, necessitudine quadam officiorum in commune obstringi. Erat accuratus juris interpres & religiosus Legum custos & verè Sacerdos Justitiæ: quod alii vendunt, id ipse jus reddidit, & à qua parte justitiæ stare visa est, in eam pronunciavit. Erat liber atque invicti animi non modo adversus metum, sed avaritiam quoque, ut nec sollicitari muneribus, nec intertrimenti ullius timore dimoveri à recto posset. Erat præterea benignus & bonus in miseros & egenos, nec quemquam, qui opem implorabat, tristem à se ac vacuum abire patiebatur. Nondum de pietate, quod primò locò debuit fieri, expositum est. Cujus profectò cultor sincerus, verus ac constans fuit, ut nihil eà prius aut antiquius duxerit unquam. Ideò in coetu piosum erat frequens, domi & in secretò lectioni sacræ deditus, diebus præcipuè dominicis, quos meditando sancta, precando devota, legendo pia, procul ab omnibus deliciis, otio & voluptate, quibus Sabbathum aliàs perdi solet, infumebat. Per triginta ipsos annos certum diem hebdomadis, quem Martis vocamus, jejuniò impendit, & ferias (cum Plauto ut loquar) esuriales egit, ut nimirum, promptius atque ardentius necessitates communes Deo commendaret, & iratum illius Numen in pacem & veniam leniret. Etenim, ut Tertullianus ait, *jejunia preces alunt, nutrimentum devotioni præbent ac suppeditant, quin & (liceat mihi verba usurpare Augustini) purgant mentes, sublevant sensus, carnem spiritui subjiciunt, corda faciunt contrita & humiliata, & quæ sequuntur.* O pietatem, ut seculum nunc est, perquam raram, cygnoque, ut ajunt, nigro similem! Sed & ò mortem subitam omninò ac præproperam, quam obiit NO-
STER!

PK 26 6670

STER! Rapida scilicet fata sunt; non è longinquò semper veniunt, à fronte sapius, à latere insultant, antequam prævideas, impetum faciunt atque evertunt. Mucium vivendi finem fecisse, dubio caret; an verò repentinò mortis genere obierit, non constat: Cæterum non *vivus* modò, ut testis locuples est Valerius Maximus, *Magistratibus, in provinciam ituris, tanquam exemplum & forma Officii propositus*, sed & mortuus statuam Romæ pro rostris adeptus fuit. Sunt &, qui in Asia festum ipsi institutum, ex singulari nominis reverentiâ, tradunt, quod Mucia dixerunt, quæ violare vel Mithridati, *hosti nimis fero & immani Romanorum*, si Ciceroni fides habenda, religioni fuit. Qui ingens honor quin **PISSIMIS HEUBLERI MANIBUS** debeatur, neminem puto tam iniquum in Eosdem, aut injurium fore, qui inficias eat. Utinam Statuam **IPSI** erigere possemus, ære perenniore! Utinam festum **IPSIUS** nomini dedicare, ac anniversaria meritis sacra instituere liceret! Utinam in manu nostra esset per *ἀποδείξαι* quasi quandam æternitati **EUNDEM** consecrare! Verùm satis felix, satis honoratus est, qui in coelestem vitam, æternis affluentem gaudiis, transit, & occupavit felicitatem, quam fide & Servatoris Optimi gratia emeruit. Quid? quod tam diu durare ac superare credendus est, quamdiu virtutum memoria & tot illustrium actuum, quibus vita **BEATISSIMI CANCELLARI** conspicua fuit, in animis nostris non exoleat. Cujus ut documentum aliquod extaret luculentum, operam navavit **Illustre Ruthenèum**, quod singularem in **EO MÆCENATEM** habuit, & nunc pro dolor! non sine gemitu & laments amisit. Qua fini **PARENTALE EPOS** in meritissimam laudem **IPSIUS, OPTUMUS ADOLESCENS, THEODORUS WOLFIUS, SCHLAIZA-VARISCUS**, ore non infacundo, cras, si dederit Deus, horâ locòque consvetis, pangere, jussu quidem nostro, & recitare decrevit. Quem ut **ILLUSTRISSIMI COMITES AC DOMINI RUTHENI, DOMINI NOSTRI GRATIOSISSIMI** clementer, **AMPLISSIMI** verò **DNN. INSPECTORES** benignè, **RELIQVI** etiam **NOBILISSIMI, REVERENDI** admodum **SPECTATISSIMI, CLARISSIMI AC DOCTISSIMI VIRI** benevolè audiant, & adeò luculenter, quò in **BEATISSIMUM VIRUM** animò fuerint, contestentur, ac in manifestâ luce ponant, humillimè, observanter perquam, officiosè & perhumaniter rogamus. P. P. d. XIV, Decembris, A. O. R.  Idc XCII,

1017



F.V. 57. (37)

X 2047430

IV, 1
Z 6
6670

Scævula Ruthenicus,

hoc est,

VIR QUONDAM MAGNIFICUS, NOBILISSIMUS
ET CONSULTISSIMUS

DN. TOBIAS HEUB

Jctus Consummatissimu

Toparcha in *Droschfau* & *St*

Consiliarius & Cancellarius Rutheno Plavientis
istorii Praes vigilatissimus, & Gymnasii
marius isque spectatissimus,

Dissertatiuncula qualiquali desc

Qua

ILLUSTRISSIMOS COMITES AC

DN. HEINRICUM

ac

DN. HEINRICUM

JUNIORIS LINEAE RUTH

DOMINOS GRATIOSISSIM

Maximè item Venerabiles

DNN. INSPECTI

Ut &

Nobilissimos, perquam Reverendos,

Clarissimos, Eximiosq;

VIROS RELIQUO

M. JO. FRIDERICUS

Illustris Ruthenèi RECTOR

ad auscultandum clementer & bene

PARENTALE EPO

Beatissimis Heubl

heu! quondam nostri

manibus sacrum,

atque à

THEODORO WO

SCHLEIZA - VARISCO,

recitandum publicè,

humillimè, submissè, officiosèq; & hum

INVITAT.

GERÆ, LITERIS WERTHERIANIS.

